



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

XXVI. De vsuris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

maiestatis offendere, ab ipsis prorsus extranea: ne, ubi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut deprehendantur peccata committi. Cessent in ecclesiis earumque cœmeteriis negotiationes, & præcipue nundinarum, ac fori cuiusque tumultus. Omnis in eis sæcularium iudiciorum strepitus conquiescat. Nulla inibi causa per laicos, criminalis maxime, agitetur. Sint loca eadem a laicorum cognitionibus aliena. Ordinarii locorum hæc faciant obseruari, suadenda suadeant, interdicta huius Canonis auctoritate compefcant: ad hæc alios etiam in ecclesiis ipsis magis assiduos, & ad præmissa idoneos deputando. Et nihilo minus processus iudicum sæcularium, ac specialiter sententiæ prolatae in eisdem locis, omnino careant robore firmitatis. Qui vero præmissas inhibitiones animo petulanti contempserint, præter processum ordinariorum, & deputandorum ab ipsis, diuinæ ultionis & nostræ poterunt acrimoniam formidare, donec suum confessi reatum a similibus firmato proposito deliberauerint abstinere.

XXVI.

*De vsuris.*

Gregorius decimus in generali Concilio Lugdunensi. Vsurarum voraginem, quæ animas deuorat, & facultates exhaurit, compefcere cupientes, constitutionem Lateranensis Concilii contra vsurarios editam sub diuinæ maledictionis interminatione præcipimus inuiolabiliter obseruari. Et quia quo minor feneratoribus aderit fenerandi commoditas, eo magis adimetur fenus exercendi li-

Sub Alexã-  
dro tertio  
cap. 25.

ANNO  
CHRISTI  
1174.

bertas, hac generali constitutione sancimus, vt nec collegium, nec alia vniuersitas, vel singularis persona, cuiuscumque sit dignitatis, conditionis, aut status, alienigenas, & alios non oriundos de terris ipsorum, publice pecuniam fenebrem exercentes, aut exercere volentes, ad hoc domos in terris suis conducere, vel conductas habere, aut alias habitare permittat; sed huiusmodi vsurarios manifestos omnes infra tres menses de terris suis expellant, nunquam aliquos tales de cetero admissuri. Nemo illis ad fenus exercendum domos locet, vel sub alio titulo quocumque concedat. Qui vero contrarium fecerint, si personæ fuerint ecclesiasticæ, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, suspensionis, minores vero personæ singulares excommunicationis, collegium autem seu alia vniuersitas interdicti sententiam ipso facto se nouerint incurfuras. Quam si per mensem animo sustinuerint indurato, terræ ipsorum, quamdiu in eis iidem vsurarii commorantur, extunc ecclesiastico subiaceant interdicto. Ceterum, si laici fuerint, per suos ordinarios ab huiusmodi excessu, omni priuilegio cessante, per censuram ecclesiasticam compescantur.

XXVII.

Idem in eodem. Quamquam vsurarii manifesti de vsuris, quas receperant satisfieri expressa quantitate, vel indistincte in vltima voluntate mandauerint, nihilo minus tamen eis sepultura ecclesiastica denegetur, donec vel de vsuris ipsis fuerit, prout patiuntur facultates eorum, plenarie satisfa-